

cupit deponens, in retractu autem rem avitam ab extra-neo emptore avocare, sibique acquirere intendit is, qui deponit. Tandem depositioni in retractu gentilitio præscriptus est annus & dies à tempore ingrossationis judicialis *Pr. L. R. Tit. 7. A. 1. §. 1. §. 2. & A. 3. §. 6.* depositioni verò nostræ nullum tempus certum est præfinitum, sed pro Iubitu Debitoris quandocunque fieri potest.

§. XXVII.

Contrarium depositionis hujus solennis est, si Debitor receperit rem depositam à depositario, sic enim per dicit. leg. 19. C. de Usur. liberationis effectus cessat. Enim verò hunc ipsum effectum LLatores depositioni solenni sub conditioni hâc, si ea duraverit, tribuerunt. Ergò si Debitor revocaverit rem debitam semel depositam, effectus quoque ille mox irritus fit atque evanescit: & quidem non ratione futuri tantùm sed præteriti quoque temporis. Quæ namque sub conditione fiunt, hâc non existente, perinde habentur, acsi nunquam facta fuissent. Unde tenetur tunc Debitor de Usuris atque de pœnâ, pignora etiam & fidejussores obligata manent, omniaque omnino Creditoris jura salva existunt.

SOLI DEO GLORIA!



Diss. iur. civ. 141, 24.